Q 4099 Nr. 13
Lane Medical Library

DE

CRISIUM CAUSSIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS WASSERFUHR

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

W. KRESS, med. et chir. Dr., med. pract.
O. zur HELLEN, judic. cameral. referend.
E. WIEMANN, med. et chir. cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Lane Medical Library

VIRO DOCTISSIMO,

AUG. FERD. WASSERFUHR,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGIO SECUNDAE EXERCITUS BORUSSICI PARTIS MEDICO GENERALI, ORDINUM CRUCIS FERREAE IN CLASSE SECUNDA, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA CUM LEMNISCO, ET RUTHENORUM SANCTI GEORGII IN CLASSE QUINTA EQUITI,

PATRI OPTIMO, DILECTISSIMO

HUNCCE LIBELLUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Amicus Hippocrates, magis amica veritas.

INTRODUCTIO.

Doctrina de crisium caussis, cujus adumbrandae periculum ego feci, in nosologia organica viri illustrissimi Schultz, quam semestri hiberno proxime praeterito scholis academicis relatam in libro suo (1) deposuit, nititur. Quae principia praeceptor clarissimus, cui gratiam maximam habeo semperque habebo, docuit, ea pro viribus persecutus sum mihique quasi appropriavi. Quod quemadmodum mihi successerit, nec me in verba magistri jurasse, sed proprium quoddam judicium facere studuisse, hicce libellus doceat, quem non nisi animo demisso profero. Quamquam enim sermonibus usitatissimis de operis suscepti difficultate, qui dissertationibus praemitti solent, non faveo, tamen docti lectoris indulgentia valde

(1) Lehrbuch der allgemeinen Krankheitslehre von Dr. C. H. Schultz. Berlin 1844.

mihi opus est. Nam e disciplina ampla, variis principiis tractata, caput magna ad morbos cognoscendos curandosque gravitate, propter difficultatem a recentioribus parum excussum, elegi et ratione, quae, quum recentissima sit, multis adhuc ignota, apud alios, qui ad antiquas doctrinas relinquendas aegre aggrediuntur, non satis valet, brevi dissertationis spatio adhuc tiro explanare conatus sum. Voluntas ac studium errores viresque conamini non convenientes excuset!

Majoris integritatis opusculi caussa, quae de crisibus scripta memoria digna sunt, afferam: (1)

Leonhard, Fuchsii commentarius in Galenum de crisibus. Par. 1549. Fol.

J. Horstii, Diss. XVI. de crisibus morborum et criticis diebus, mensibus et annis. Helmst. 1597. 4.

G. C. Stahl, Diss. de autocratia naturae. Hal. 1696. 4. — Progr. de synergia naturae in medendo. Hal. 1695. 4.

J. H. Zanutti, de crisibus et diebus decretoriis. Vien. 1716. 8.

Fr. Hoffmann, Diss. crisium naturam et explicat. rational. sistens. Hal. 1736. 4.

J. Junker, resp. Dietelmair, Diss. explicans caus., cur acutarum febrium excretiones diebus tantum criticis et non aeque aliis sint salutares. Hal. 1743.

Th. Elliot, de crisibus in morbis acutis. 1746.

---

(1) vid. Encyclopäd. Wörterbuch der mediz. Wissenschaften. Herausgegeb. v. D. W. H. Busch, C. F. v. Gräfe etc. Berlin 1832. T. 8. voc. Crisis. (Kreyssig.)

G. C. Richter, Crises veterum in morbis, propriumque iis tempus. Gott. 1748. 4.

J. E. Hebenstreit, Vis vitae ad judicandos morbos. Lips. 1749. 4.

Aymen, Diss. si les jours critiques sont les mêmes en nos climats, qu'ils étaient dans ceux, où Hippocrate les a observé. Par. 1752. 8.

G. G. Richter, de coctionum praesidiis evacuantium abusu aversis. Gott. 1758. 4.

Ph. G. Schroeder, de coctionis atque criseos in febrib. impedimentis. 1768. 4.

Ch. J. Coquereau. Ergo sui sunt morbis chronicis motus critici. Par. 1770. 4.

Klockhoff, Diss. de crisi vid. Opuscul. med. omnia inter. ad. J. Ch. Schlegel. Jen. 1772.

Ant. de Haen, de diebus criticis et crisibus variis. Rat. med. I. cap. 4.

Id. de crisibus morborum. Rat. med. VIII. c. 2.

M. Herz. Diss. de varia naturae energia in morb. acut. et chron. Hal. 1774. 4.

Delius resp. Berger, de diebus intercalaribus. Erl. 1784. 4.

Conspruch, de crisibus. Stuttg. 1787. 4.

A. Neumann (J. Ch. Reil), Diss. de crisibus genuin. morbis nervosis peculiar. Hal. 1792.

Nucckel, Abhandlung über die Kochung und die Krisen in Krankh. Bonn 1794. 8.

E. G. Baldinger resp. Eckhard, veritas doctr. criseos Hippocr. Marb. 1796. 8.

K. F. Gl. Ideler. Abhandl. über d. Krisen in Krankh. Leipz. 1796. 8.

I. F. Geyer, natura medicatrix philosophiae et physices generalis legibus aestimat. Wurceb. 1798. 6.

Cappel, de viribus corporis humani, quae dicuntur medicatrices. Gott. 1810.

W. Diebsch, Commentat. de crisibus, s. de med. crisium doctrinae in artem medic. influxo. Gott. 1803. 4. (Op. coron.)

A. Henke, Darstellung und Kritik der Lehre von den Krisen. Nürnberg 1806.

A. G. Landré Beauvais, Sémiotique ou traité de signes de maladies. Edit. 2. Par. 1813.

C. L. Klose, über Krankheiten als Mittel der Verhütung und Heilung der Krankh. Bresl. 1826.

I.

ἡ δὲ πεῖρα σφαλερή.

Hippocr. aphorism.

Jam antiquis illis temporibus, quibus Hippocrates primus scientiam nostram condidit, in multis morbis evacuationum mutationes, saepe sanationis instantis nuntios, adesse animadvertebatur. Quae observatio empirica nec Hippocratis oculum acutum, nec, qui eum sequebantur, medicorum speculationes saepe steriles fugit, semperque gravissima ad morborum cognitionem et curam habebatur. Definitionem autem et interpretationem pro scientiae statu, tempore et imprimis philosophorum doctrinis mutato, variis temporibus variam fuisse mirari non possumus. Theoriarum de crisium natura institutarum historia ipsius medicinae, imo, si acutius rem inquirimus, philosophiae, quo quodcunque in scientiis efficiebatur reduci potest, foret historia. Philosophiae enim explicatio nihil aliud nisi ingenii humani ipsius est. Quare descriptionem accuratiorem, qua via opiniones de crisibus sensim sese expediverint, fines mihi statutos multum excessuram esse patet. Sed quum cujusque

declarationis perspicuitas eo, quod aliis comparamus et comparatas opponimus, augeatur, primarias crisium doctrinas paulum adumbrare liceat.

Crises omnino corporis aegroti attributa sunt et essentialiter, ut hoc verbo utar, ad morbum pertinent, nec cogitari possunt omisso morbo. Crisium igitur intime cum morbi theoria conjuncta est, quae quam varia omnibus temporibus fuerit, nemini ignotum est. Duas in universa medicinae historia possumus discernere scholas, ad quas ceterae omnes reducendae sunt, alteram, quae humoralis seu qualitativa nominatur, alteram dynamicam cum ea, quam solidarem vocamus. Primam e Graecorum philosophia naturae antiqua exortam, imprimis Empedoclis, in medicinae fines Hippocrates transduxit. Ut natura externa ex elementis humidis, siccis, frigidis et calidis formaretur, sic corpus humanum e sanguine, muco, bili flava et atra simili modo compositum esse docuit. Morbus nascitur, quod elementa externa in corpus penetrantia, proportionem corporis elementorum efficiunt malam. Calido innato (ἔμφυτον θερμόν), quod vis medicatrix ipsa est (ἐνορμῶν), materia peccans coquitur, cocta corporis excretionibus ejicitur. Id temporis momentum, quo coctione finita ejectio incipit, qua morbum ad sanitatem reverti censebant, crisis vocabatur. Cogitandi quadam operatione, quae saepe in logice et lingua humana ostendi potest, concretum pro abstracto, visum pro essentia statuebatur, et id ipsum, quod crisin adesse ad sensuum conspectum retulit, crisis nominabatur. Coctio tempus definitum desiderat et aliis morbis quidem aliud, ita ut crisis, quamvis typus hebdomadalis frequentissimus sit, aut tertio, aut quinto, aut septimo,

aut decimo quarto, aut uno et vicesimo aut ceteris hunc typum sequentibus appareat diebus. Quae aliis diebus apparuerunt evacuationes, criticae non habebantur, excepto die periodi septem dierum medio, quem quoniam crisin instantem nuntiaret, indicem vocabant. Temporum decursu haec theoria vario modo tractata et explicata est, dum C. L. Hoffmann, omnium morborum caussam succos depravatos et corruptos statuens, pathologiam humoralem recentiorem condidit. Quantumvis qui hanc doctrinam secuti sunt in Hippocrate niterentur, ne illos quidem theoriae antiquae errores fugere potuerunt. Jam methodici Asclepiades, Celsus et Themison crises negaverant. Viderunt praeterea multos morbos crisibus pejores factos, alios sine crisibus finitos, alios crisibus apparentibus non evanescentes, et adversariorum impetu in angustias compulsi doctrinam crisium sic modificabant, ut materias peccantes, quae crisibus ejicerentur, ad sordes gastricas et contagia exanthematica sensim sensimque reducerent. Ceterum crisibus non ipsam quidem materiam peccantem, sed tamen aut materias secretionibus oppressis in sanguine retentas, aut sanguinem ipsum, qui copia et aucta irritatione detrimentum attulisset, aut morbi producta, ut diarrhoea seu vomitu criticis ejici. Nec diutius coctioni qualem antiqui voluerunt sententiam supposuerunt, sed mutatione quadam qualitativa materias peccantes in corpore alienari semper censuerunt.

Antiqua crisium doctrina vitam organicam naturae anorganicae subordinat, opinioni antiquorum de harmonia omnium vitae formarum, qua mors metamorphosis modo vitae humanae esset, conveniens. Sublimior vitae orga-

nicae aestimatio recentiorum hominum hanc humiliorem jamdudum repulit. Et principio falso singulatim hujus theoriae errores ostendere haud difficile est. Materiae peccantes nec ipsae neque coctione mutatae conspectae sunt. Omne igitur criterium, num crisibus ejectae essent necne, id est num evacuationes criticae fuissent, plane defuit. Color frigusque non habent existentiam materialem; quomodo materiae remitti possint; quomodo fiat, ut calor externus interno calore coquatur? Quum quo crudiores et minus mutatae sordes gastricae et materiae venenatae ejiciantur, eo celerior sanatio appareat, coctionem non necessariam esse probatur. Progressum morborum cum evacuationibus copiosis conjunctorum e eruditate demonstrare voluerunt, non demonstrantes, cur non omnes materiae calore eodem coquerentur. Multis morbis typum quendam inesse periodicum constat, sed materiarum, quare aliae dierum trium, aliae quinque vel septem vel quatuordecim spatium ad coctionem instituendam postularent, quare sint, quae nunquam calore innato ad emissionem idoneae redderentur, non patefecerunt. Nec vires chemicae, quoniam non sint periodicae, morbos possunt provocare periodicos. Viros recentiores, pathologiam humoralem secutos, quum antiquorum naturae philosophiam jam diu reliquerint, tamen doctrinae in ea fundatae favisse miror, nec possum bonum quod inest animo percepisse, sed non distinxisse a falso, non judicare. Quae modificaverunt, minime valent. Nam eruptiones exanthematicae non sunt liquores, nec sordes caussae morbi externae et mutatae. Quas tamen crises vocant. Si haemorrhagiae vel materiae, suppressa secretione in sanguine reservatae, criticae esse possunt, non

opus est concoctione. Quot dies critici ad haemorrhagiam pertineant, quae succis et incitamentis minutis crisin adducat? Quot ad morbi producta? Quorum quae critica sunt a non criticis quomodo distinguantur? Quod coctioni aliam notionem supposuerunt, id ad rem nihil refert; nam mutationem quandam esse materiarum peccantium qualitativam omnes consenserunt.

Cui doctrinae Hippocraticae obsistit dynamica. Vir ille illustris Paracelsus, quum expurgato illo mediae aetatis medicinae quasi Augiae stabulo, primus materiae mortuae vitam opposuisset, antiquam doctrinam relinquere et vim quandam, quae organismo inesset, vitae, ejus vero turbationem morbi caussam constituere incepit. Pro temporis opinionibus obscuris mysticisque daemonem esse arbitratus est, quem Archaeum vocavit. Deinde quum saeculo septimo, decimo novis cognitionis fontibus ingenio humano reclusis, Bacon ille Verulamius e materia ultimas omnium rerum caussas deduxisset, Cartesius verbis »cogito, ergo sum« hodiernae philosophiae principia statuisset, et Spinoza, vir perillustris, dualismum materiae et ingenii dissolvere ausus esset, medicina hunc matris philosophiae adscensum persequi coacta est. Itaque Paracelsi archaeus daemonicus in Helmontii principium vitae, sui ipsius cognitionis affectum et in ventriculo sedens; deinde in Sydenhami doctrinam de morbo ut organismo proprio, ad hunc diem apud multos florentem; tum in Stahlii principium psychicum, quod, constructo corpore, quae nocerent, emitteret; denique in Hoffmanni animam, quae ipsa vita esset, transiit, nec minus Cullenii pa-

thologiae solidari et Brownianae irritationis doctrinae fundamenta dedit.

Quod Hippocrates cruditatis, coctionis et crisis nominibus appellavit, dynamicis nihil nisi majorem minoremve virium depravatarum gradum signabat. Nullo modo extraneis sanguini immixtis materiis morbum effici, quum alienata virium proportio solum principium aegrotandi statuenda esset, docebant. Hujus producta evacuationes mutatas esse, minime ipsius morbi auctores; nec ad virium alienatarum restaurationem aliquid conferre posse, quum sanguis ceterique humores partium firmarum modo incitamenta essent. Itaque quamquam antiquae doctrinae contradictiones nonnullas empiricas demonstraverant, nec quibus caussis niteretur cognoverunt, neque rei dignitatem assecuti sunt. Quum ipsorum theoriae crises non convenirent, rem omnino negaverunt, melius quidem nihil constituentes.

Quod historia medicinae docet, omnibus temporibus fuisse, qui varias opiniones conjungere studerent, — virorum illustrium Aretaei, Galeni, Oribasii, Boerhaveï, Reilii, Hufelandi nomina in memoriam revoco — id in historia crisium doctrinae confirmatum videmus. Inter recentiores imprimis Reil et Hufeland divergentes theorias componendi periculum fecerunt. Quod Reil conatus est, eclectico modo chemismum mixtionis ad dynamismum doctrinae de vi vitali adjungens, pro rei natura succedere non potuit. In Cullenii pathologia nervorum et Brownianismo nisus virium et materiarum crises disjunxit. Antiquam negavit doctrinam, servavit consequentias. Hufeland et Hippocratem secutus materias peccantes in corpus exceptas,

quae partibus solidis via praecipue chemica alienarentur et ad ejectionem aptiores redderentur, ac praeterea, quales Reil, virium et partium solidarum crises esse statuit, quibus aequipondium restauraretur dynamicum. Ita viri clarissimi oppositis vi et materia, quae quum abstractiones sint in organismo concreto non inveniuntur, in contradictiones, quas solvere non licuit, aberrarunt. Permiscebantur quoque cum crisibus recentiore tempore morbi metastatici, ut erysipelas, exanthemata, abscessus, qui ad sanationem quidem conferre possunt, sed ab evacuationibus criticis omnino distincti, ad crises non pertinent. Ut omnis diversarum rerum eodem nomine nuncupatio, haec quoque notionem, quae verbo crisis inest, perturbavit alienaque confudit.

2.

Im Fortgange der modernen Wissenschaft bildet die alte Krisenlehre nur einen Hemmschuh der freien Entwicklung.

C. H. Schultz. l. c.

Postquam periculum refutandi quae adhuc statutae sunt crisium theorias feci, veram rei indolem pro natura organica adumbrare instituam.

Universus nutritionis et crescentiae in corpore humano processus, quem cum Schultzio ananeosin voco, duabus partibus, quae polis galvanicis, quorum alter alterum cogit et constituit, similes, per totam vitam repetuntur, componitur: formatione, assimilatione, seu receptione, et dissolutione, alienatione, sive dejectione (1). Impedita formatione deformatio haeret, hac

(1) Neubildung und Mauser (Schultz).

impedita, formatio non procedit. Totius igitur organismi partum atque mortem in singulorum organorum anaeeosi reperimus. Non chemico vel mechanico modo, quod plerique physiologi, nec e vi quadam mystica et abstracta ortus, qualem dynamici volunt, regenerationis organicae processus nascitur, sed e mutua elementorum formatorum organicorum incitatione. Non vis quaedam obscura et a corpore diversa, sed energia organica interna, quae ut magnetismus et electricitas polorum, sic formarum organicarum provocatur oppositione, vitam efficit. Nec chemia declarari potest, nam vita ad formam adligata est, ad materiam chemismus. Utrumque alterum tollit deletque. Affinitas chemica, materiarum aliquarum conjunctione chemica finita, et potentia in producto soluta, ad finem perducitur. In processu incitationis vivae nec quies nec neutralisatio. Sed vita organica, quum non absoluta sit et ex universa macrocosmi vita, cujus pars est, pendeat, tum tempore certisque periodis terminatur, tum conditionibus, quibus e natura universa, renovata forma organica, renascetur, indiget. Hujus restaurationis processus, haec viva formarum e materia productio, anaeeosis pars prima seu assimilatio, mortuarum formarum dejectio et resolutio in materiam chemicam, secunda seu alienatio est. In tractu intestinorum chemica qualitate sensim sensimque sublata, deinde sanguini immixta, materia e sanguinis plasmate ad singulorum organorum formam adducitur. Quae quidem plasmátis particulae telae alicujus conditioni propriae respondent, e simplicissimis formis egressae metamorphoses continentes percurrunt, dum ad vitae gradum debitum adscenderint, ipsae forma organica et

vita affectae. Sic assimilatio efficitur, quae quamquam animationis gradus et pro organorum dignitate atque functione, quibus structura vitaque propria convenit, et pro materiis, quarum aliis alia animandi facultas est, discedunt, ratione tamen omnibus telis progreditur simili. Alienationis autem viae duae sunt. Quae enim telae superficiem corporis internam vel externam vestiunt, ut cutis, crines, ungues, membranae mucosae particulas, vita peracta, ad superficiem formis exsiccatis desquamatione deponunt chemicisque legibus tradunt; quae autem nobiliora sunt et majore ad vitam integram dignitate affecta, vitae residua collapsa et turgore vitali privata, deinde colliquefacta sanguini remiscent; quo organis excretioni praefectis adducta vario modo alienantur et denique urina, bili, sudore, exhalatione e corpore ejiciuntur. Singulum quodque organum excretionis certorum modo organorum vitae residua excernere, Schultz primus statuit. Renibus praeter aquam albumen, phosphorum, sulphur saliaque, quae antea nervis, ossibus et partim musculis vivis materiam suppeditaverint, per urinam mortua et resoluta excerni docet. Nec caussae desunt. Urinae copia cum cerebri et systematis nervorum magnitudine apud homines et animalia convenit. Formant majorem copiam animalia carnivora, perfectiore cerebro instructa, quam herbivora, homines adulti quam infantes, viri quam mulieres. Nervis et apud sanos intentis et arte incitatis et morbo correptis urinae secretio augetur. Quo minus nervorum systema apud animalia apparet, eo magis organa urinae secernendae praefecta recedunt, quorum vice denique cutis et intestina funguntur. Sudor cetera vitae muscu-

laris residua maxime in ammonium mutata educere videtur. Quae per pulmones et cutem exhalatione ejiciantur, non satis notum est. Vena portarum corpuscula sanguinis decrepita, et pigmento soluto et membranis nucleo privatis, colliquefacta hepati adducit, quo bili in duodenum evacuantur.

Ad liberum vitae functionum fluxum integram hanc formandi et solvendi vicissitudinem esse oportet. Quamdiu aequipondium perdurat, sanitas adest. Ut primum vero una vel altera actione praevalente turbatur, vitae energia, quippe quae regeneratione integra nitatur, impeditur legesque naturae externae, quibus organum non eadem, qua antea, potentia resistere possit, valere incipiunt. Regeneratione plane deleta, diruta omni potentia vitali, chemismus quod resistat non invenit, et organum necatum suis legibus subjicit, id quod in gangraena et morte per apoplexiam subita evenit. Plerumque vero quum regeneratio non sublata, sed modo impedita, et potentia vitalis, qualem antea statuimus, non deleta, sed modo minuta sit, organum tentatum, ceteris sanis adjuvantibus, vitam propriam contra universam obtinere studet. Certatur igitur inter vitam et mortem, inter formam et materiam, inter potentiam formarum vitalem et affinitatem chemicam. Haec est, quam morbum vocamus, defensio organismi contra propriam dissolutionem. Victrice vita formationis et resolutionis aequipondium restituitur, et corpus convalescit, superata corpus necatur.

Quod igitur, natura morbi ita adumbrata, ad processum regenerationis turbatum pertinet, florente sanitate jam evenit, ut vitae residua sensim et haud obser-

vabili modo sese colligant, sed nec potentia vitali dejiciantur, nec vero functionum viam valde turbent. Si quidem horum residuorum copia fines excedit, et chemica incitatione organa stimulat, corpus jugum impositum aucta intentione exuere studet, et morbi tempestas egreditur, qua vita animalis quasi in plantarum vegetationem relabitur. Quum vita nec ad materiam in novas formas commutandam, neque ad veteres formas solvendas sufficiat, formatio et resolutio, rhythmo conturbato, junguntur organi aegri regeneratio desinit, formae prius, quam secundum naturalem vitae ordinem, emoriuntur, formisque potentia, quae inest, vitalis pedetentim deletur. Tum morbi focus, substantia certamine plane soluta et consumpta, torpidus resistere cessat, morbusque mitigatur. Vita organica suppressa expergiscitur, organum deletum regeneratur formaeque recentes renascuntur. Rhythmo restaurato formatio et solutio discedunt, et organorum aliena discutiens morbi residua detrudit. Hoc est, quod antiqui crisin vocabant.

Quum igitur nec materiae peccantes nec secreta nec producta morbi evacuentur, sed processus morbi in aliquo organo residua, saepenumero servatis formis ipsis, crisin, qualem antiqui voluerunt, non exsistere intelligimus. Haud ad materias criticas, quod de coctione cogitaverunt, pertinet, sed ad maturationem morbi residuorum, quae, ut novae notioni novum quoque nomen substituatur, cum Schultzio apolyses appellabo. Elementa materialia, quibus crises compositas esse statuerunt, partim formas servaverunt, partim modo secundariae formarum solutione exorta sunt. Quod theoria Hippocratica sanationis certum signum exhibet, id periodum modo

morbi finitam designat. Non ex crisium evacuatione, ex apolysi, sed e formatione vitali redeunte, non ex organismi liberatione a materiis nocentibus, sed e reorganisatione convalescentia pendet. Quo diutius evacuationes mutatae sunt, eo perniciosior morbus, quae adeo reorganisatione non efflorescente vitam ad certam mortem adducunt. Quo magis autem minuuntur eo propinquior sanatio, quae, quando apolyses aegrae in sanas transierunt, perfecta est.

Ut sanae vitae processus periodos ostendunt, sic etiam morbis periodi, quamquam diversae, non desunt. Dies quidem, quales criticos antiqui nominabant, quum apolyses raro tam celeriter, ut uno die evacuari possint maturentur, et pedetentim modo in sanas transgressae sanitatem restituant, poni non possunt. Illorum theoriae ut principio utitur falso, sic observationes empiricas quoque obsistere, ne recentiores quidem, qui doctrinam Hippocraticam sequuntur, negant, quamquam infirmitatem dierum criticorum, qui ad universam eorum doctrinam essentialiter pertinent, excusare et declarare student. Behrends(1) et Kreyssig (l. c.) tum in hujus aetatis vitae rationem politiorem et magis luxuriosam, tum in curandi methodum nostram vehementiorem culpam transferunt. Sed mehercle Periclis, Hippocratis et Epicuri aequales vel Galeni, qui sub imperio Romano vixit, num simpliciorem et magis ad sanitatem spectantem vitam degerint, quam hodierni homines? Num curae antiquorum medicorum drasticae mitiores

(1) Dr. C. A. W. Behrends Vorlesungen über praktische Arzneiwissenschaft; herausgegeben von Sundelin. Berlin 1835.

fuerint, quam methodus nostra antiphlogistica vel exspectativa, quibus in morbis acutis, quos solos crisibus discerni antiqui statuerunt, uti solemus? Kreyssig praeterea haec adjungit: »omnes organismi animalis explicationes, dentium formatio, deinde mutatio, pubertas, graviditas etc. certis periodis procedunt; omnes morbi, febres, inflammationes, exanthemata, stadia legalia percurrunt. Quidni etiam crises eundem typum sequentes ad certos dies et periodos adligatas esse oporteat? Typi caussa in vitae legibus vel, quia singulum modo universi pars est, in vitae relatione ad universum mutua, igitur in vi naturae generali seu in legibus naturae communibus nititur.« Sic et vitae organicae cum organicae legibus permutans, organismi naturam, quae non harmonia cum universo, sed oppositio est, omnino non agnoscit, et e vitae periodis morbum deducens totius morbi essentiae contradicit. Haec enim vitae suppressio est et processus letalis, cui vita resistere plus minusve studet. Mors, e qua vita nullo modo declarari potest, alias leges quam vita sequitur. Habet quidem morbus periodos, sed proprias nec easdem quas vita. Periodorum enim caussa non natura externa, quae omnes actiones vitales excitare quidem et alienare, at non provocare potest, sed ipsum corpus est, cui periodi innatae sunt. Ut vitae periodus universa est, quae partu oritur, morte finitur, sic organis et functionibus singulae sunt, quotidianae, hebdomadales, menstruae, annuae etc., quae omnes in categorias formandi et solvendi revocari possunt. Morbi vero periodi metamorphoses periodorum sanarum sunt, quae morbi certamine irregulares apparent. Non quia organismus proprius nec quia processus

letalis sit, morbus typum ostendit, sed quia in corpore vivo decurrit. Quo magis itaque vita supprimitur, ut in febribus nervosis, putridis, et quo minus morti resistit, ut in morbis chronicis, eo magis typus cessat. Redeunte vero vitae energia etiam typus quidam adparet, quare in revalescentia clarissime animadverti potest (1). Quod apud varia systemata maturatio et ejectio apolysium tempus perdurat, longius apud ea est, quae vitae vegetativae praesunt, ut membranae cellulosae, glandulae, ossa, quia apolyses iterum iterumque reproducuntur, quam vasis, quibus assimilatio celerrima fit, aegris vel sympathice morbo affectis. Quod exfoliationem et necrosin appellamus, tantum ossis defuncti apolysis difficilior esse videtur. Regeneratione cunctante apolysis non procedit, acceleratam autem etiam celeriter sequitur apolysis.

Quum omnes aegri cujusdam organi morbo prius ad mortem ducantur, quam secundum leges vitales, copia apolysium semper augetur. Qualitas a sanis pro natura morbi discedit. Ejectio denique aut per eadem organa, per quae tela sana residua remisit, efficitur, quod morbis levioribus et integris organis secernentibus evenire solet; aut alia organa secernentis impediti vice funguntur, ut haud raro gravioribus morbis accidit.

1. Sanguinis apolyses ut sanae, sic etiam aegrae levioribus morbis bili, cujus copia tantum augetur, ejiciuntur. Bilis aucta intestina incitat, et aut diarrhoeas, crebro biliosas, aut, incitatione e duodeno ad ventriculum perducta, vomitum biliosum efficit. Illis,

(1) Quum fines mihi constituti altius doctrinam de typis morborum me repetere non concedant, hae notae sufficiant.

cum sensu levationis conjunctis, meteorismus, borborygmi, flatus, dolores in regione lumbali, pulsus intermittens, urina parca; huic magna inquies, angor, compressio in scrobiculo cordis, ardor dolorque ventriculi, vertigo, dolores capitis, sudores frigidi, ructus, concursus liquoris in ore, frigus generale saepe nuntii antecedunt. Hepatis autem functione impedita, residua veterum sanguinis corpusculorum pigmentorum biliosorum forma, quae Schultz melanoses vocat, deponi possunt.

Formis servatis sanguis mortuus corpore sano solam per menstruationem evacuatur. Morbis, quando vena portarum sanguinis apolysibus excernendis propter auctam copiam sufficere non potest, tum, ut ventriculus nimis impletus materias quas continet, si superare non potest, vomitu ejicit, sic sytema vasorum a sanguine mortuo et superfluo haemorrhagiis sese liberat. Ad morbos, quibus hujusmodi status inveniuntur, febres pertinent sthenicae, inflammatoriae, praecipue apud homines validos, juvenes, plethoricos. Viis efficiuntur haemorrhagiae pro individuis et natura morbi variis, per epistaxin, haemorrhoides, menses, vomitum cruentum, haemoptysin, imo per epiphoram cruentam. Optima ad prognosin epistaxis et menses sunt. Rubor calorque faciei et oculorum, vertigo, gravitas capitis, palpitatio arteriarum temporalium, pruritus narium, aurium strepitus, visus muscarum, imo deliria epistaxi antecedunt, a respiratione difficili, frequente, et pulsu duro, pleno, tenso, inaequali, accelerato saepe comitata. Quod sanguis e nari ejus lateris, quo organum aegrum situm sit, effudatur, id et omni caussa caret nec observationibus confirmatur. Guttae paucae nihil prosunt, et quia energiam vasorum ad

evacuandam apolysium copiam non sufficere produnt, malae ad prognosin sunt. Haemorrhoidibus ac menstruis, iis quae critica nominari solent, nuntii fere aequales antegrediuntur, tenesmus, dysuria, meteorismus, color faciei pallidus, pulsus suppressus, inaequalis, dolores in regione lumbali, uredo circa anum aut vaginam. Haemoptysis et haematemesis apolytica (critica) non facile nisi aegrotis pulmonibus et ventriculo accidunt. Epiphorae sanguineae singulis mensibus redeuntis casum mirabilem Ill. Juengken apud puellam amenorrhoea laborantem observavit.

2) Urina apolytica gravitate in regione lumbali et inguinali, uredine vesicae urinalis, cute sicca, siti aucta et pulsu molli annuntiatur. Continet:

a) Apolyses systematis nervei. Quo idiopathice vel sympathice affecto urea aut modo augetur, aut partim in acidum uricum saliaque urica, praecipue ammoniacalia mutatur, quod copia telarum nitrogenicarum, quae in nervorum morbis dissolvuntur, maxime effici videtur. Etiam alcalia phosphorica in terras phosphoricas magnam partem convertuntur. Omnia haec salia acidaque, si quies et refrigeratio juvant, facile et plerumque forma crystallina dejiciuntur. Quo tranquillior et tardior refrigeratio adfuit, eo puriores et pulchriores crystalli proveniunt. Si defuit, globuli aut massae omni forma carentes exoriuntur. Urea, etiam frigore soluta immanens, arte disjuncta crystallorum longorum quadrilaterorum, urea nitrica octaedricorum aut cubicorum forma apparet. Format acidum uricum folia quadrata vel rhomboïdea, natrum uricum globos radiis tenuissimis circumdatos, calcium phosphoricum aut pulverem aut

pyramides concretas, natrum phosphoricum ammoniatum columnas multiformes pulcherrimas, magnesia phosphorica ammoniata prismata trilatera, cystinum, quod raro reperitur, tabulas sex laterum (1). Febris intermittens, convulsiones, paralyses, mania, arthritis, neuroses varia mixtione et quantitate materias relatas per urinam ejicere solent.

b) Ammonium liberum, odore insigne, e musculorum residuis componitur, quare aucta quantitate imprimis rheumatismis animadvertitur.

c) Pigmentum, quod urinam colore rubro afficit, pigmentum sanguineum est, quod sanitate corpusculis sanguinis inclusum, febribus inflammatoriis in liquorem sanguinis solutum renibus excernitur. Febribus nervosis et putridis paralysis corpusculorum illorum pigmenti solutionis caussa est, status ad prognosin multo pejor.

2) Sudor, quas urina non continet, ceteras musculorum apolyses in ammonium saliaque ammoniacalia resolutas educit.

3) Exhalationis per pulmones et cutem apolyses, multis in morbis, uti in febribus putridis, gastricis, typho, scorbuto jam odore cognoscendae, parum aut non investigatae sunt.

4) Squamae, crustae, crines soluti cutis aegrae residua sunt. Morborum cutaneorum sedes non epidermis, sed corium est. Epidermis enim e rete Malpighio renascitur, quod cum illius desquamatione ipsum in epidermidem mutatur, deinde vero e corio

---

(1) Schultz l. c.

subjacente renovatur. Sic sanitate fit. Morbis autem strata subepidermatica prius emoriuntur, quam secundum naturam est, et in epidermide variis formis et solutionibus deponuntur. Quam apolysin si regeneratio sequitur, sub epidermide aegra desquamata nova formatio et sana quidem apparet. Si vero reproductione retis Malpighii non jam finita, epidermis aegra dejicitur, tela recens in suppurationem transgressa crustam quasi epidermidem artificialem format, sub qua regeneratio sana non turbata procedere potest. Qua finita crustae ejiciuntur. Hoc processu solo discrimen inter squamas crustasque nititur.

5) Sputa sic tantum a cutis residuis discedunt, ut epithelium non forma squamosa solvatur, sed in cellas singulas divisum, quae cum secreto membranarum mucosarum conjunctae massam mucosam componunt. Pulmonum, intestinorum et organorum uriniferorum sputa, quo essentialiter distinguantur, non praebent. Per varias metamorphoses aegra qualitas in sanam transit. Regenerationis sanae epithelii pulmonalis signum est, si sputa colorem album e flavo accipiunt, facile nec tussi vehementiore solvuntur, et crassa, continentia et globosa ejiciuntur. Similem qualitatem, quamquam propter copiam exiguam difficilius cognoscendam, mucus, urethrae et vaginae redeunte regeneratione recuperat. Mucum intestinalem, quem, exceptis diarrhoeis mucosis, non nisi faecibus permixtum conspicere licet, non dissimilem fore jure statuere possumus.

III.

Postquam originem, decursum, ejectionis vias et

qualitatem earum apolysium, quas regeneratio et cum hac convalescentia sequitur, quae igitur proprie criticae nominari solent, explanare studui, ad earum variationes jam transeo. Non semper enim apolyses, quemadmodum antea exposui, decurrunt. Jam antiqui, imprimis Galenus, multas species distinxerunt, ratione quidem, quod Behrends (l. c.) recte adnotat, non semper logica. Ad eas categorias, quibus observationes empiricas omissa theoria supposuerunt, organica nostra doctrina facile reduci potest; sic ad crisin exiguam et copiosam, simplicem et compositam, constantem et inconstantem, salutarem et perniciosam, evidentem et obscuram, sensibilem et insensibilem, etc. Ceterum multas categorias, quibus vitae morbique processus subordinari solent, quum res natura cohaerentes saepe et arte disjungant, et proprietatibus non essentialibus exemptis in falsa luce collocent, si non perspicuitati nocere, attamen saepenumero superfluas esse censeo. Equidem in relatione inter regenerationem et dissolutionem, eo quod gravissimum esse momentum mihi videtur, nisus, omnes apolyses (crises) in duo genera divido: in perfectas et imperfectas. Perfectas, quas antea tractavimus, regeneratio sana sequitur; huic categoriae igitur antiquorum crises salutares, certae et bonae subducendae sunt. Imperfectas non sequitur regeneratio morbusque producitur. Quum ad duas species referri possint, apolyses imperfectas distinguo colliquativas et retentas.

1) Apolyses colliquativae. Nuditas organi post apolyses ejectas substantiam recentem vix regeneratam, adhuc teneram, mollem igiturque irritabilem, incitationibus, quibus ut non consuetis resistere non pot-

est, exponit. Hoc praecipue apud ea organa, quae naturae externae maxime exposita sunt, ut cutis et membranae mucosae, accidat oportet. Apud quemque catarrhum expectoratione remissa novae telae irritabilitas aëre incitante provocata sensu percipitur. Nonnullis in exanthematibus, ut in variolis et varicellis desquamatio non ante formationem recentem maturatam procedit: aliis, ut scarlatina et morbillis, tela subjacente non consolidata apolyses jam ejectae sunt. Quibus in morbis, quod secundum leges accidit, id aliis morbi natura convenire non potest. Tum vero telae recentes, ante quam maturatae sunt, resolvuntur, et corpus formationibus, quae vix productae jam emoriuntur, consumitur. Ad ipsam mortem hic status perduci potest, velut transitu catarrhi in phthisin abdominalem.

2) Apolyses retentae sive suppressae. In statibus torpidis, si energia vitalis tam debilis est, ut nec telarum regeneratio plane perfici, neque apolyses ejici possint, residua semimortua in telis semivivis cumulantur. Nocet hic status, qui varias reactiones provocat, pro dignitate organi aegri et pro torporis gradu. Organorum, quae vitae residua servatis formis ejicere solent, membranae mucosae in statum, qui mucosus nominatur, cutis in similem, qui squamosus jure vocari possit, incidunt. Quum uterque parasitorum productioni faveat, mucus membranarum mucosarum entozoa, polypos, mucorem, cutis degenerata sarcoptas, pediculos et exanthemata chronica proferunt. Hujusmodi status propter intimum omnium organorum connexum ceteris organis semper damno est. Sic cutis aegra pulmonum morbos provocare, morbi membranae mucosae intestinorum ner-

vos afficere possunt. Id quoque, quod pathologia humoralis acies psoricas appellat, huic subducendum est. Multo autem est perniciosius, si organa animalia et nobiliora apolyses hujusmodi in sanguine retinent. Processus regenerationis semper impeditur; itaque minimo gradu, quum corpuscula sanguinis vetera partim immutata venae portarum remaneant, status, quem haesitationes venae portarum vocamus, provenit, quo tota regeneratio plus minusve supprimitur, magnaque ad varios morbos proclivitas gignitur. Interdum sanguis et nervi apolysibus retentis ad reactiones irritas excitantur, ad convulsiones, vel febres nervosas, quae magna virium consumptione mortem producere possunt. Si vero non solum processus plasticus impeditur, sed apolyses retentae telas recentes resolvunt, exitus perniciosus raro vitandus est. Apolyses aut vivo corpore chemice decomponuntur, ut febribus putridis, aut denuo reproductae magis magisque in corpore accumulatae mortem ceteris organis adhuc sanis communicant, ut syphilide, hydropibus, scorbuto evenit. Hisce statibus igitur apolyses, quas colliquativas vocavi, cum retentis collabuntur, et nisi vitae resistentiae suppressae arte auxilium ferimus mors propulsari nequit.

Ut apolyses turbatae formationes aegras producere possunt, sic processu apolytico arte incitato etiam regenerationem haerentem incitamus. Intime enim formationem et solutionem sibi respondere, jam antea exposui. Quomodo quod arte efficimus id multis in morbis natura morbi effici potest. Saepe jam in sano corpore, aequipondio non integro regenerationem, quum vitae residua non ejiciantur, turbari videmus. Hujusmodi statui

si morbus accedit, quum solutionem substantiae omnibus organis augeat, residua superflua et noxia ejiciuntur, et totus regenerationis fluxus restauratur. Itaque aliorum morborum medicamentum morbus esse potest. Quantopere morbus ad accelerandam solutionem et novam formationem revocandam pertinere possit, gravibus imprimis nervosis morbis videmus, quibus finitis ungues exfoliantur, capilli defluunt, vena portarum sanguinem mortuum bili evacuat, membrana intestinorum mucosa muco exoneratur, cutis desquamatur, totusque organismus non symbolice, sed re vera renascitur. Quorum morborum, quos depuratorios nominaverunt, vis jam antiquis, quamquam pro theoria sanitatis restitutionem ad humores sanguinis acres expurgatos retulerunt, bene nota erat.

VITA.

Natus sum Augustus Hermannus Wasserfuhr, fidei addictus evangelicae, Sedini anno hujus saeculi XXIII. die XIV. mensis Junii. Primis literarum elementis a praeceptoribus privatis imbutus, nono vitae anno in Gymnasii Sedinensis classem quartam receptus sum. Directore doctissimo Dr. Hasselbach et magistris dignissimis humanisque ducibus eo, ut anni h. s. quadragesimi auctumno, maturitatis testimonio instructus, ex gymnasio in almam literarum universitatem Halensem

me conferre possem, adductus sum. Cujus in civium numerum ab Ill. Gruber, t. t. prorectore magnifico, receptus et apud Ill. Friedlaender, t. t. medicorum, et apud Ill. Meier, t. t. philosophorum decanos spectatissimos nomen professus sum. Per duo semestria audivi disserentes: Ill. Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Kaemptz de physice; Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Steinberg de chemia; Ill. Germar de mineralogia; Ill. Erdmann de philosophiae historia; Ill. Bernhardy de Aeschyli Agamemnone; Ill. d'Alton de osteologia et syndesmologia.

Deinde auctumno anni h. s. quadragesimi primi Bonnam profectus, ab Ill. Gust. Bischof, t. t. fasces academicos tenente, inter cives almae literarum universitatis Rhenanae receptus et ab Ill. Harless, t. t. decano medicorum spectatissimo, medicinae studiosis adscriptus sum. Hisce scholis per tria semestria interfui: Ill. Brandes de logice, de hist. philos. rec.; Ill. Volkmuth de psychologia; Ill. Mayer de neurologia, angiologia, splanchnologia, histologia; Ill. Weber de osteologia, myologia, syndesmologia; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Treviranus de familiis plantarum naturalibus; Ill. Budge de physiologia; Ill. Naumann de pathologia generali; Cel. Albers de materia medica et de arte formulas medicas rite conscribendi; Ill. Loebell de historia recentiore; Ill. de Schlegel j. b., de artium historia apud Romanos Graecosque; Ill. Arndt de Taciti Germania; Ill. Dahlmann de politice.

In arte cadavera rite secandi Ill. Mayer et Weber mihi duces fuerunt.

Bonna relicta anno h. s. quadragesimo tertio Berolinum petii. Ill. de Raumer, t. t. rector magnificus, in almae universitatis cives me recepit, receptum Ill. Joa. Mueller, t. t. decanus maxime spectabilis, in album facultatis medicae retulit. Per annos duos et dimidium audivi disserentes: Ill. Joa. Mueller de anatomia universa, de physiologia et generali et speciali; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia speciali; Cel. Froriep de aciurgia; Exp. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Wagner de medicina forensi, de politia medica, de pathologia et therapia speciali; Ill. Schultz de pathologia et therapia generali; Ill.

Romberg de diagnosi morborum cordis, pulmonum et abdominis; Ill. Hecker de historia medicinae.

Scholis clinicis interfui chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach, medicis Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, obstetriciis Exp. Schoeller, Ill. Busch, medico-chirurgicis policlinicis Cel. Truestedt. Exercitationibus aciurgicis in cadavere institutis Cel. Froriep dux mihi fuit.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas, quam possum, gratias ago semperque habebo.

Hoc ipso tempore in cohorte praetoria equestri chirurgi munere voluntarius fungor.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Discrimen inter medicinam et chirurgiam factum inceptum est.
2. Vita organica e natura anorganica declarari non potest.
3. Existunt morbi organismo salutares.
4. Opium eodem jure ad medicamenta excitantia, quo ad narcotica referre licet.
5. Disquirere de dubiis animi morbis non philosophos vel jure consultos, sed medicos decet.
6. In stricturis urethrae sanandis cauterisatio et incisio omnino nocent.